UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

I. Aprilis. S. Procopivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

Visual Library

S. Procopivs Cothumæ in Bohemiâ natus, Pragæ literis imbutus & ſacerdotii gradu initiatus eſt. Sed animo altiora concipiens, in monachum D. Benedicti inſtituta in Breunouienſi cænobio profeſſum, incidit, à quo & vitæ ab humanis negotiis ſeiunctæ normam excepit, & cultu corporis nouo involutus eſt. Poſtea in antro degit, contra aëreas poteſtates orationum & ieiuniorum telis acriter depugnans, donec Vdalricus Princeps Bohemiæ occaſione venationis in eum incidit. Qui & mox flagitare quaſi importuniùs à Sancto Patre cæpit, vt leuandorum criminum ſuorum ſpe certiori multam in ſe iudicio ſuo Pater decernere non grauaretur. Nec mora: Procopivs, vt templum Deo, ſub nomine D. Ioannis Baptiſtæ à fundamentis erigeret, idq; celebre religioſis viris eò contractis, & prouentibus dotatis efficeret, in mandatis ei dedit. Quibus perfectis; dum hîc ageret Procopivs ſtipatus choro purgatioris ſenſus hominum, quot ſibi delectu acri habito collegerat, mirum dictu, quanti vndique egeni morbiſque vexati ad eum confluerent, qui omnes læti ab eo receſſerunt. Deſignatus verò cænobii præfectus, id munus ita geſſit, vt omnibus magnopere eius gubernandi ratio eſſet grata & accepta. Diem mortis ſuæ triduo ante cognouit, multaque futura prophetico ſpiritu ſuis prædicens, vitam reliquit circa A. C. MLIII. ipſis Cal. April. In SS. numerum relatus eſt A. C. M. CC. IV. IV. Non. Iulii. *Ex Nicol. Salio.*

S. PROCOPIVS ABBAS ORD. S. BEN.
BREVNOVIÆ *Monachus ſed poſt* PROCOPIVS *Abbas*
Diuo BAPTISTÆ *templa ſacrata locat*